

## **De costarum fractura : theses ex anatomia et chirurgia.**

### **Contributors**

Violle, Benoît.

Louis, M. 1723-1792.

Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

[Paris] : Ex typis Clousier, 1789.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vft7yswf>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D E

59.

# COSTARUM FRACTURA.

## THESES

EX

ANATOMIA ET CHIRURGIA

TUM PRACTICA TUM FORENSI,

*Die Sabbati tertiad mensis Octobris, anno 1789, à sesqui-  
secundâ post meridiem ad septimam,*

PRO PUGNANDÆ.

*P A R I S I S ,*

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

PRO ACTU PUBLICO,

ET MAGISTERII LAUREA.



Ex Typis CLOUSIER, Regis & Regii Chirurgiæ Collegii  
Typographi, viâ Sorbonæ.

---

M. DCC. LXXXIX.

ДЕ

СОСТАВЛЯЕМ ЧАСТИЧНО

СЕЗОН

ХЛ

АНАТОМИЧЕСКАЯ

ИЛИ ТРАНСАКЦИОННАЯ

СИСТЕМА ПОДГОТОВЛЕНИЯ  
ДЛЯ СПОРТИВНОЙ АКТИВНОСТИ

ПРОГНОЗИРУЮЩАЯ

ПАРАМЕТРЫ

И РЕАКЦИОННОСТЬ СПОРТИВНОГО

ОБЪЕКТА ПОДГОТОВКИ

ДЛЯ УЛАГАНИЯ МАССИВА



СОСТАВЛЯЕМ ЧАСТИЧНО  
СИСТЕМА ПОДГОТОВЛЕНИЯ  
ДЛЯ СПОРТИВНОЙ АКТИВНОСТИ

СОСТАВЛЯЕМ ЧАСТИЧНО



D E  
FRACTURA COSTARUM.

T H E S E S  
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

§. I.

MEDIA trunci regio, à jugulis ad xyphoidem cartilaginem extensa, thoracis nomine insignitur; partium vitalium conceptabulum est & munimen. Anterioris, sterno; posterioris, vertebris dorsi; dextrâ & sinistrâ parte, duodecim utrinque costis, tanquam finibus circumscribitur.

CONSTANS est universè costarum numerus, duodecim dor-

A

salibus vertebris connexarum. Undecim quandoque & tredecim thoracis vertebrae observarunt viri de re anatomicâ optimè meriti. *Fallopio* nunquam undecim, sed tredecim bis visæ sunt; totidemque costarum paria; sed addit lumborum solummodo quatuor tunc adfuisse vertebrae. Ex observationibus *Riolani* notum est & undecim & tredecim, in diversis cadaveribus vertebrae fuisse numeratas: in eo tamen Fallopio consentire videtur, quod nulli horum corpori, in totâ compagine, una vertebra vel defuerit, vel abundarit; itâ ut, secundum Fallopii & Riolani observationes, idem semper fuerit vertebrarum numerus, cùm quæ in unâ earum classe superflua, in alterâ deesset.

VERTEBRARUM dorsi numero naturali non semper consenteus est in quocumque thoracis latere numerus costarum. Meminit celeberrimus *Morgagni* (1) se semel undecim costas numerasse in latere sinistro; quinta erat latissima & per geminam cartilaginem cum sterno committebatur: hinc forsan pluries, in numerandis costis, erroris ansa.

COSTARUM definitionem, seu potius descriptionem à clarissimo Academiæ nostræ sodali extraneo (2) mutuandam, ut accuratiorem, censemus. » Ossa sunt semi-circularia, spongea, mobilia & obsequiosa, differentis, ad constituendas

(1) *Adversar. Anatom. II*, animadvers. XXXII.

(2) Phil. Adolph. Boëhmer, anatom. Profess. in Regiâ Fridericianâ Halæ-Magdeb. Institut. Osteolog.

» pectoris laterales & præcipuas partes, longitudinis & la-  
 » titudinis; certo ordine disposita, incurva, intùs lèvia, pos-  
 » terius inæqualia & capitata, antrorsum tenuia, in diversæ  
 » magnitudinis incurvas cartilagines desinentia, & vitalia cuf-  
 » todientia organa «.

VULGARIS distinctio costarum in veras & spuriæ meritò  
 impropii vitio notanda: septem superiores, veræ, quia  
 cum sterno committuntur: inferiores quinque, quia ad os  
 pectoris non pertingunt, *nothæ* dicuntur. Sed cur his igno-  
 bili nomen, quasi flagitiosè è scorto natis? Accuratori deno-  
 minatione superiores, sterno-vertebrales; inferiores verò,  
 vertebralium solo nomine aptiùs vocentur.

COSTARUM partis ossæ miram è laminis tām exterioribus,  
 corrugatis, quām interioribus, cribiformibus atque reticulatis  
 proponit conformatiōnem *Gagliardus*, periostio tectam, quod  
 quidem est membrana proximè omnia investiens ossa, organum  
 secretionis materiae ossæ, à quo nutritionem, accretionem,  
 & augmentum capiunt. Quomodo, præter membranam pleu-  
 ram, costarum facies interna peculiari gaudeat periostio, atque  
 quo pacto vasa sanguinea per illud sint dispersa, & per pleu-  
 ram cursum continuent, à celeberr. *Ruisch*io demonstratum;  
 præsente & testante cl. *Gaubio* (1), qui anceps hæserat utrūm  
 membranæ pleuræ pars exterior, seu lamella costas respiciens,  
 periostii esset loco; an verò costæ peculiari gauderent mem-  
 branâ immediatè eas internè amiciente? Solutam *Ruischii*

(1) V. Ruisch. epistol. problem. secund. 4°. non. Septembr. 1695.

præparatione controversiam , annotatione dignam centuit *J. Guill. Pauli*, Anat. & Chir. Profes. Lips. in clar. *Van-horne microcosmum*. Ast, hæc anatomica cognitio & ex eâ exurgens utilis consideratio chirurgica jam jam *Pareo* nostro innotuerant. De pleurâ agens, quæ licet costis arctissimè adhæreat, ab iisque vix separabilis , litem de ejus duplicaturâ *Vesalium* inter & *Galenum*, *Columbo* componente , referens , hancque ex autopsiâ dirimens , judicem oculatum , expertum , &c , ut vocant , competentem , dilucidiori expositione se præbet *Pareus*, dum ait (1) » nobis verò , vitandæ ambiguitatis causâ , placet ea solùm sequi quæ oculis apparent : ex quo dicimus costas dupli tunicâ intùs velari , una quæ immediatè undique ipsis adhærescit , periostium dicta , quæ ipsis cum ossibus communis est : altera quæ ipsi incumbit periostio , involvitque internâ parte costas omnes , ex quo subcostalis dicitur. In interstitio cujuscumque membranæ , via est arteriis , venis & nervis : & humoris defluxio quæ fit inter periostium & hanc quam dicunt pleuram , pleuritis vera nominata est ; & notha audit quæ externè fit suprà costas , intercostalesque musculos : (2) hæc *Pareus*. Hanc materiam nihilominùs illustratam reliquit Ruischius eleganti iconis- mo in quo videre est ramulos arteriosos , ex arterijs intercostalibus oriundos , quorum extremitates miro reptatu per lamellam pleuræ costas respicientem , ut & per periostium costarum , exspatiantur.

(1) *Anatom.* lib. III , cap. VI.

(2) Cui , remediis antiphlogisticis frustrà adhibitis , ferè semper certum tutumque auxilium est vesicatorium loco dolenti appositum.

POSTERIUS cohærent costæ articulatione mobili cum corporibus vertebrarum solum, vel insimul cum processibus earum transversis. Secunda quippè ad undecimam, capitulo binarum vertebrarum corporibus lateraliter committitur, & proximiore tuberculo, sinui processus transversi vertebræ inferioris valido ligamento alligatur. Costarum verò suprema ferè immobilis, duæque infimæ, cœteris mobiliores, tantum cum corpore vertebræ correspondentis articulationem ineunt: sicque cum vario modo vertebris adunentur, motibus diversis sunt paratæ. Majori costas ultimas mobilitate, mirâ naturæ providentiâ, donari putat *Andr. Laurentius*, ut jecori, lieni & superioribus intestinis, dum aliquando distenduntur, amplior relinquatur locus.

ANTERIUS septem primæ costæ, utriusque lateris, ad utrumque latus ossis sterni cartilaginibus uniuntur, modicis intervallis inter duas quasque relictis, ordinatæ. A septimâ reliquæ inferiores paululum insigniterque breviores, sic ut duodecima brevissima sit. Octava cartilagine suâ, paulatim gracilescendo, in acutum mucronem abeunte, imæ parti cartilaginis septimæ costæ jungitur, ac sic nona octavæ, & decima nonæ. Imæ duæ lateribus abdominis extremitis suis partibus inhærescunt. Quæ duplii articulatione quasi ginglymeâ junguntur, sursum ac deorsum moveri queunt, & ex obliquâ dispositione fit costarum rotatio, ut mucrone suo, quo sternum attingunt, descendant: dum reliqua costæ pars ascendit, angulus cartilaginis cum sterno rectus fit, & ampliatur thorax ut aer pulmones subeat, in motu respira-

tionis inspiratorio : angustatio verò thoracis fit præcipuè à motu costarum restitutorio , cessante muscularum elevatorum actione.

INTERCOSTALES musculi dupli serie inter costas decussatim protensi , harum motui inserviunt & quidem limitato , ut ipsa docet partium structura. Utriusque strati in muscularis intercostalibus fibræ suâ contractione breviores , superiùs & anterius costas paulùm retrahunt.

Ast respirationis præcipuum instrumentum , diaphragma ; septum intermedium , quo , abdomen versus , occluditur thorax , cujusque tām patet latitudo quantus est thoracis inferior ambitus. Ex dupli musculo , superiore à sterno , utrinque per costas circulariter ad tergum abeunte , & inferiore firmiore & minore processibus binis ad lumbos exorrecto , componitur ; qui , in medio , in tendineam aponeurosim uniuntur. Musculi admirabilis nomine à *Riolano* nuncupatur (1) , in inspiratione contrahitur & tenditur , tuncque deorsim adducit costas inferiores , & ex convexo rectum efficitur septum transversum. In expiratione supernè revellitur , & fit tunc ex recto convexum. Agentis diaphragmatis status duplex admittendus. In naturali inspiratione , quod in dormientibus , sanis , tranquillis , planum est , ità sentiente clar. Winslow , Diaphragma solum movetur , costis ad sensum immotis , nisi quod imæ una vel altera septi motum sequantur. Tunc media pars & posterior diaphragmatis ex laxo fornice expanditur , & thorax

(1) Encheiridii Anat. lib. V , cap. XXXI.

longitudine augetur. Si inspiratio contentior fuerit, & copiosiori sanguini, vel eidem ægriùs pulmonem pervadenti, spatum parati debeat, agunt simul musculi intercostales, costas vertunt sursum extorsumque, sternum retinent, costæ verò imæ, validè agente septo, detrahuntur. Sic longitudo thoracis, inquit celeb. Haller, simul cum latitudine utraque augetur. Post utramvis harum actionum, sequitur relaxatio septi, & hujus intrà thoracem concamerata restitutio.

QUAMPLURES musculi costis incumbunt, vel iis sunt affixi, spinæ, scapulæ, humeri motibus dicati, quos consultò prætermittimus; multasque quæstiones, licet insigniores, sed minoris ad rem nostram momenti, eliminandas censemus, de costarum fracturâ præcipuè acturi: non immemores tamen, ex effato *Harvæi* ad *Riolanum*, invento circulationis sanguinis minimè faventem, quòd eorum quæ sunt secundùm naturam contemplatio physiologica priùs sit noscenda, quoniam quod secundùm naturam est, id rectum & tūm sui tūm obliqui regula, cuius luce errores affectusque præternaturales definiendo, pathologia posteà clariùs innotescit, & ex pathologiâ usus & ars medendi.

### §. I I.

A vehementioribus injuriis externis costas frangi posse & findi neminem latet; deprimi verò, permanente depressione & stabili curvatione, non itidem constat. Difficiliùs quam vulgò credunt fit costarum fractura; quodquidem præviâ anatomicâ face inclarescit. In sceleto, thorax caveæ avium

custodi ex textu vimineo comparari potest: intensior gaudet elaterio, impetus qui in costas mobiles & obsequiosas irruunt, eludente. Tota compages ellipsoidea est, supernè enim angustior, infernèque, licet minus, sed media latescit. Major amplitudo ad septimum circulum; hæc pars eminens in convexitate laterali thoracis patentior, magis est obnoxia compressioni & contusionibus ab ictu, lapsu, &c. A septimâ ad ultimam, quò mobiliores costæ, eò magis impetibus adversis cedunt.

Non eodem modo, sed variè franguntur costæ. Cujuscumque speciei discrimin cognoscere, operæ pretium est.

INTER costarum fracturæ differentias, notatu digna sit quæ partim fieri dicitur: » Nonnunquam, ait *Heisterus* (1), costæ sic franguntur, aut saltem finduntur, ut aliqua solùm eārum pars, sive ea sit interior, sive exterior, lœdatur, & ex sede suâ naturali haud recedant; ferèque tunc sint sine malis aut gravioribus symptomatibus, sæpèque non cognoscantur & quasi sponte suâ quoque rursus coalescant «. Hoc jam annotaverat *Paræus* de costarum fracturâ, dicens, sæpè verò fit ut non penitus frangantur, sed tantum assulatim findantur, idque intus nonnunquam at non extus. Sic fissura sæpè medium costarum substantiam, quæ rara & spongiosa est, non excedit; & tūm leve malum esse pronuntiat. Ratio de hâc fissurâ dubitandi petitur ab immensâ totius compagis thoracis firmitate quâ injuriis externis resistit. Notissimum est incudem

(1) *Institut. Chirurg.* lib. II, cap. VI, de costis diffractis.

sexcentarum & ultrà librarum, & incudem ferientium fabrorum malleos facilè tolerari. Hoc experimentum assert claris. *Haller*, à *Jenty* cursu anatomico, anglicè scripto, desumptum, & phœnomeni causam repetit non unicè à parvo motu incudis, ut clar. *Senac* videbatur (1), sed ab elatere cartilaginum sterno commissarum, pressioni cedentium & facilè se restituentium. Ex his concludere est depressionem costarum, ut fiat introrsum fissura, eamidem compressionem & contusionem requirere, quâ tota penitus costa frangitur.

ARTIS genio, ingenii perspicacitate & rerum notitiâ præcellens, dum viveret, M. J. Lud. *Petit*, in tractatu de morbis ossium, fracturam costarum asserit extorsum fieri posse, si in extremitatibus suis, anteriùs & posteriùs compressionem paterentur diametraliter oppositam utramque majorem resistentiâ; siveque in centro fiet solutio continui. *Petito* monente, clar. *Heisterus* hunc costæ fractæ modum, ac si arcus in medio frangeretur, admittit, contrà *Gouey* opinionem negantis dari fracturam quâ costæ extùs pelluntur.

SUPPOSITÆ costarum fracturæ, vel earum depressiones, impostoribus, pseudo-chiriatris, viam præbent nummos extricandi, populi credulitatem decipiendo: &, ubique falsâ costarum restitutione, sibi famam acquisivere rudiores rustici, quin etiam tortores; post-habitis eorum ignominia ac dedecore, sæpiùs Magnatum quâ vulgi stupore, facti nobiles. Quis nescit, Phædri fabulâ edoctus, malum Sutorem, cui nemo

(1) Acad. Scientiarum, ann. 1729.

calceandos pedes nollet committere, in medicinâ faciendâ; multorum stultiâ, quæstum impudentiæ habuisse: & nunc, quod lugendum, sicut Octaviani Augusti temporibus: ætas abit; sui numquam dissimilis vulgus.

DIFFRACTARUM costarum signa, unicuique primo intuitu conspicua, si graviori læsione una vel plures vehementius affligantur, aut cum vulnero, ut per ejaculatas glandes plumbeas, &c. Sed in genere facilem dicunt costæ fractæ diagnosis: cui opinioni, vulgato magis consensu quam exquisitâ veritate, subscriptitur: nam quod simplicior est costæ fractura, eo difficilioris dijedicationis. Huic paradoxo instituendo ratio & experientia consociantur. Adversus dogmaticos Scriptores vernaliter à prioribus dictata referentes, consulendi observatorum nomine illustres, penes quos jus est de rebus chirurgicis statuendi, dummodò judicium sit in quæstione dilucidandâ statumen.

Ex superioribus allatis circâ fracturarum in costis differentias, jam de fissuris saepius nec cognitis, nec cognoscibiliis, & quæ suâ sponte coalescere dicuntur, nulla potest esse controversia. Quibus signis, completa in genere dignoscatur fractura, videamus. Hæc sunt, dolor, impotentia ad motum partis naturalem, inæqualitas à naturalâ conformatioine, ob ossis extre- morum in solutâ unione à suâ sede recessum; crepitatio, id est, tactu stridor quasi sub auditu; denique symptomata & accidentia læsioni propria, hancque peculiariter concomitantia.

DOLOR, unanimi consensu, æquivocum pro dijedicatione fracturæ signum, incertius in thoracis læsionibus. Cùm

enim costæ depresso à violentiâ externâ , elasticitate quâ gaudent , exemplò sese restituere valeant , dolor à contusione & compressione minùs quam in aliis partibus , fracturæ signum præstare potest . Si ex simplici defluxione idiopathicâ pleuritici tam dirè cruciantur , ut irâ Deorum , teste Juvenali , se vexatos crediderint vitæ non integrâ ; quis eâdem parte ab injuriis externis lœfâ , dolorem subsequentem etiam graviorem , loco signi fracturæ haberet ?

*Præterea lateris vigili cum febre dolorem*

*Si cœpere pati , missum ad sua corpora morbum*

*Infesto credunt à Numine (1).*

POETÆ de notissimis dicenti lubenter credendum ; si verò id suffragationis arceatur , audiamus non infimæ notæ Doctorem Medicum Paulum Renalnum qui elegantioribus typis publici juris fecit ex curationibus observationes (2) , inter quas sexagesima inscribitur , *doloris in latere* ; cuius hæc species est : » Puella in acutum pungentemque lateris dolorem incidit , qui contactu vehementior ; nulla tamen aut ruptæ costæ , aut inflammationis externæ vel internæ , aut flatûs suspicionis occasio suberat . Dolorem sentiebat , dum animam vel leniter duceret ». Post unicam sanguinis missionem obmetum inflammationis subsecuturæ , cathartico , sequenti die , propinato , duobus vermibus vomitu exclusis , melius se habuit ægra , sequentique die dolor omni ex parte evanuit . Nostra

(1) Juvenal. Satyr. XIII.

(2) Parif. ann. 1606.

fit ex hâc observatione conclusio , dolorem etiam atrocissimum , contactu vehementiorem , post illatam costis injuriam , non esse signum fracturæ.

Ex positionibus Anatomico-physiologicis patet minorem esse costatum ad respirationis munus necessitatem , diaphragmaticque præcipuum onus hujus functionis incumbere. Ergo à partis læsæ motu impedito , nempè à spirandi difficultate , minus quam in aliis partibus concludendum adesse fracturam costarum , si quidem à causâ facilè amovibili , ut patet ex *Renealmi* observatione , quamplurimisque illi analogis , molestus & anxius fieri potest partis motus naturalis.

SED pro indubitato & vetè pathognomonic fracturarum signo , partis difformitas , à recessu extremorum solutæ unionis. Ast & hoc præpostérē in diffraictis costis desideraretur. Ex anatomiâ constat costas sibi ipsis invicem , musculis præsertim intercostalibus , alligari , ita ut nulla earum dimotio ex fracturâ fieri queat. Hanc pathologicam assertionem de æqualitatis naturalis nihil quidquam immutatae permanentia , confirmat Therapeia.

*alterius sic*

*Altera poscit opem res & conjurat amicè.*

Nulla fit ab observatoribus , de restitutionis encheiresi mentio. Tria sunt in aliis partibus ad os fractum in statu naturali reponendum , trahere , continere & adjungere ; quæ vulgaribus vocabulis sub nomine extensionis , contrà-extensionis & conformatiōnis nota sunt. Nulli horum locus datur in costatum fracturis : simplex deligatio continendis topicis resol-

ventibus comparata adhibetur, absque ullâ intentione partem fractam coercendi.

Ex crepitantium extremorum strepitu fracturæ existentis major exurgit certitudo , modò attentè perspicacique tactu pars saucia attrahetur, habitâ ratione loci & actionis muscularum hunc tegentium. Sed quorsum in casu dubio curiosior investigatio? nullo modo dimotæ partes fractæ , immittiori tractatione possent ambientes pungere , unde gravioris mali metus , ab auxiliatricibus manibus minimè expectandus.

**DIFFICILEM** à tactu, costæ fractæ dignotionem jam statuerat , in suo de morbis ossium tractatu celeb. *Duverney* , eamque minùs fallacem, si à motibus trunci desumeretur. Quod ad probandum utitur exemplo cuiusdam mercatoris parisiensis , qui lapsu sibi costam è sterno-vertebralibus fregerat. Nihilominùs octo circiter vel decem leucas equo vectus peragravit : octidui redux , sedens , truncum vertendo ad partem oppositam , strepitum , bino & alterno tempore sentiebat , scilicet rotationis & repositionis : exinde nullum de fracturâ costæ dubium , quæ sub imperatâ quiete sanescit.

**ITER** symptomata in diffractione costarum primitius vel pedetentim incidentia , sputum sanguinis numeratur , idque vulgò tribuunt aculeatis fragmentis introrsum propulsis , pleuram & pulmones pungentibus. Quid indè? si , ut verum , partibus fractis nequaquam dimotis sputum adveniat cruentum , in pleuritide symptoma nulli clinico ignotum. Cur à causâ externâ & quidem violentiori percusso thorace , præcise ob resistentiam costarum , alienum esset

sanguinis sputum? quis effectus commotionis non novit? A percusso, integris costis, hypochondrio dextro, hepatis solutam unionem vedit J. Lud. Petit, scholæ nostræ quondam decus. Sed ad rem propriori documento observatio sequens. D. de Marcenay, quinquagenarius, regiorum vectigalium Nannetis quæstor, iætu rostri, equini percutitur in mediâ anteriore laterali thoracis parte. De brevi evanescente dolore primario parùm curat. Remanet sensus cuiusdam gravedinis obscurus; lento pede incedit dyspnœa, successivo gradu ingravescens; tandem constanter asthmaticus & subinde hæmoptoicus. Parisiis in æstu hæmoptoico supremum diem egit. Cultro anatomico hujusce actûs præsidis subjectum fuit cadaver, in pulmone, è directo loci percussi duobus abhinc annis, ubi constans fuerat dolor internus, conspicua fuit & facilè extracta lymphatica massa, pugno major, coloris & consistentiæ polyposarum concretionum, quas in mortuorum cordis ventriculis & auriculis videre contingit. Diversa strata globum carniformem menticitia in aneurismatibus spuriis consecutivis, diversos sanguinis effluxus subcutaneos indicantia, in hâc massâ erant similiter disposita; subter quam una aut altera cruoris tûm liquidi, tûm in grumos concreti uncia continebatur. Tumor in conspectu Academ. Regiæ Chir. venit die 22<sup>â</sup> 9<sup>bris.</sup> 1752. Ruptum, in hoc casu, commotione, arteriæ bronchialis ramulum quis neget? exinde consideratio therapeutica maximi momenti.

EMPHYSEMA, tumorem flatulentum ab aere, tanquam costæ fractæ proprium accidens habuerunt, variaque est autorum hâc de re opinio. Crebrius in pectoris vulneribus quæ in

interiora penetrarunt, lœsis pulmonibus, fit emphysema; retento aere inspiratorio textum adiposum subeunte. In gravioribus & maximè complicatis costarum fracturis, absque vulnere, lœdi possunt pulmones, & vero emphysemati locum præbere, quod quidem accidens, nullo, quod sciamus, exemplo, confirmatum. *Heißlerus*, loco citato, de costis distractis, ab aere externo tumorem flatulentum describit, exiguum vulnus supponendo, per quod carnem inter & cutem, in cellulosam tunicae adiposæ substantiam aer sese insinuat, primò pectus, mox verò collum etiam, caput, ventrem aliasque partes insigniter inflans; qualiter nempè vituli atque oves inflari à lanionibus consueverunt. In augendis rei modis nemo intemperantior, si *Platnerus* excipiatur, causam emphysematis de quo agitur, aeri tribuens qui præcipuè, si gelidus, in adiposas cellulas extrinsecùs irrumpit illasque distendit. Sic deformis fit & contaminatur Ars, in cuius illustrationem tot tantosque labores contulere docti & experientissimi magistri (1).

INTER egregios consulamus *pareum* nostrum qui ducentis abhinc annis, futuri quasi prædivinatione, augurabatur, experientiâ duce, quæ doctis lucubrationibus & experimentis physicis & chymicis explanata sunt nostris temporibus, circà aeris naturam & proprietates, ejusque mutationes varias in putredinis formatione, præsertim discendas à Cl. Chirurgo *Macbride*, irlando dublinensi, diligentibus factis periclitationibus. eâ quâ pollebat ingenii sagacitate excellentissimus vir, de arte

(1) Platnerum in errorem induxit M. le Drau, obs. 29. tom. I. cuius facti discussio utilis hic locum habere nequit.

medendi, si quis alius, optimè meritus. Sic autem *Pareus* de tumore flatulento in fracturis costarum adventitio.

» AD fractas contusasque costas multa sequuntur symptomata: sed inter cætera duo existunt minimè vulgaria: primum est contusæ carnis inflatio, quæ etiam leves ossis affectiones, ab initio neglectas sequitur. Inflatur autem caro non pure, sed humore quodam pituitoso, glutinoso & muci simili intùs coeunte. Causa est partis in coquendo, ex ictu & intemperie, imbecillitas; quæ alimentum solitò copiosius affluens, seu doloris occasione tractum, seu naturæ, sui conservandi studio incitatæ, impetu cæco, transmissum, sibi assimilare nequit. Itaque semi-crudum illic permanens multos de se suscitat flatus, vel a calore imbecilliore agitatum in vapores nebulosos resolvitur. Quò sit ut turgidula eo loco caro videatur, & mollescat contrà cutis, quasi calamo inflata. Itaque appressâ manu, audire licet cedentis aeris strepitum, & videre relictam in parte cavitatem, quem ad modum in tumoribus ædematosis contingere solet. Huic inflationi nisi occursum fuerit, succedit inflammatio, febris, abscessus, dyspnœa, denique id affectionis secundum genus, quod explicandum hoc capite suscepimus, nempè costarum putredo, corruptio seu syderatio ». Hæc sunt venerandi senis aurea verba.

PROPRIA experientiâ edocetus Cl. *Petit*, nobis *pareus* secundus, rectè monet ne tactu tumoris flatulenti decipientur minùs attenti in dij adjudicatione fracturæ costarum. Ex præmissis concludere fas est cum Platnero: Ergo nec emphysema certum indicium est vulnus pectoris ad interiora pervenisse, si quidem fieri potest, etiam non solutâ cutis unione.

Quæ

Quæ ad stipulante experientiâ dicta sunt & mox dicenda de indicationibus curativis & medendi methodo, planè edocent quid sentiendum de prognosi. Facilè intelligitur cur solâ imperatâ quiete quidam fuerint restituti; spatio ut plurimum 25 dierum. Solutæ autem continuitatis in ossibus conferruminatio solius est opus naturæ spontè agentis, cùm nulla est partium in fracturâ dimotio. Sed in complicatis casibus, si fragmenta & testulæ partes internas pungant & vulnerent, grave est periculum, & efficacius auxilium res expetit, de quo non discrepant artis magistri. Cutis incidi, ipsaque fragmenta in carne hærescentia, & digitis, volsellâ & quâvis aliâ ratione extrahi, vel in statum naturalem restitui debent. Hoc pacto gravissimis doloribus aliisque accidentibus à causâ pungente oriundis, succurritur. Plaga autem congruæ curationis ordinariæ vices subit. Jam obiter de deligationibus. Ex *Paræo* sitûs & decubitus non ferè alia quâm ex ægri voluntate & voluptate sumitur regula.

VIDERE est, ex prædictis, incommoda & accidentia præcavenda vel debellanda, minùs ab ipsâ solutâ ossis continuitate oriri, quâm à percussione contundente, plus vel minùs intensâ; undè, ne sobolescant, cum tenui victûs ratione, primis diebus, venæ sectiones repetitæ, pro re natâ, præcipuum sint auxilium. Periculum esse in morâ docet quæstoris Nannetensis historia superiùs allata, quem abstrusus & hactenùs incognitus morbus lumine orbavit.

Quot & quantæ calamitates & infortunia, ab inconsideratâ & inconsultâ circumspectione de sanguine mittendo! nûm aliundè accedunt, ab inflammatione non resolutâ, suppurationes abscessus, caries, necrosis &c. Ob errores traditione adventitios

peccanti, sanè ignoscendum; non omnia possunt omnes: sed gravius objurgandi veniunt, qui celebres in arte viros ejurantes, eorum præcepta, præconceptâ adversâ opinione, vel ineptè vel falso interpretantur.

### § III.

IN amplissimo tot tantisque vepribus obsito quæstionum forensium campo, interpretatione legum naturæ solvendarum, exspatiari non est animus: eas solum quæ ad nostræ concertationis metam ducunt, publico examini submittere juvat, expositis prius quibusdam prolegomenis, seu documentis generalioribus quæ eò tendunt.

CUM percussionum pectori illatum in foro criminali danda sit ratio; antè omnia, ut circà cuiuscumque earum indolem nullum remaneat dubium, actori vel reo exitiale, sit in omni casu, respectu lethalitatis, renunciando, accuratior consideratio divisionis vulnerum: quædam sunt absolutè & necessariè lethalia; alia lethum inferentia, sed non absolutè; altera vero per accidens tantum lethalia fiunt. Non aliud in finem cultro anatomico subjicitur demortui cadaver, quam ut ritè atque prudenter institutâ sectione, quod vocant corpus delicti extrâ omne dubium ponatur. Ex corpore delicti statuitur judicium: prius ergo pateat certitudo facti physica quæ est totius processus inquisitorii fundamentum; ubi enim nullum est delictum, exulant pœnæ scelerum ultrices.

LONGE abstrusior quam vulgaris est opinio, veritatis investigatio; eam quidem, multarum observationum præsidio, inf-

fracta mens sagax vix assequi potis est. Maximi interest nosse si vulneribus confossus ac defœdatus, ea vivus an mortuus acceperit. Quæ vivo illata fuere, rubra apparent & cruenta, cum labris in ambitu tumidis ac lividis : contrà, quæ mortuo. Una enim cum morte, inquit vir sapiens & peritus *Paræus*, omnes animæ in corpore cessant facultates & intercidunt functiones; sic, ut nihil dehinc spirituum, nihil sanguinis ad loca vulnerata transmittatur aut confluat. Itaque ex his quæ erunt, quæque apparebunt signis, renunciabitur homini vivo vel mortuo inficta fuisse quæ cernuntur vulnera.

**C**ONTRA subdolas deceptiones, oculis subjectâ costarum fracturâ, in cadaveris lustratione, cautum se præbuit actûs præses, à *Paræo* hâc judicandi normâ chirurgicè edoctus, & pari documento imbutus ex Cicerone, pro P. Sextio causam dicente. . . . *Hanc ego viam, si, aut asperam, atque arduam, aut plenam periculorum, aut insidiarum negem, mentiar : præfertim, cùm id non modò intellexerim, sed etiam prater ceteros senserim.*

DI<sup>E</sup> 17 Septembris anno 1784 Pecuarius sexagenarius vaccas indiligentius pascebatur. Solum prohibitum, in quo erant noxæ, subeunt. Monitum ac reluctantem convitiis & baculo bubuleum dejicit nemorum custos, applicito ad pectus sclopeti tubo ferreo. Domi redux, sub meridiem, de lateris dolore conqueritur saucijs, horâque quintâ pomeridianâ arcessit chirurgum, qui, parte attentè nec inscienter pertractatâ, nullum cognovit fracturæ signum ; nulla erat reclusa spirandi difficultas. Ratione doloris mittitur è brachio sanguis, & adhibentur topica sedando dolori idonea. Tertio die, non

penitus remisso dolore, iteratur venæ sectio, homini domi inambulanti, è cubili stanti absque febre. 11 Octobris ægrum tertio adiit Chirurgus, quem stantem, gossipum nentem deprehendit & cibi appetentem. Nihilominus, tertio ab hac aditione die, 27 à percussione, horâ nonâ ferotinâ occubuit.

De cæde, coram Magisterio aquarum & sylvarum comitatū gornacensis lite à demortui filiis intentâ, adversus nemoris custodem, jussu Prætoris in ballivianâ jurisdictione, ipsoque præsente, ad Scrutandam mortis causam, cadaver infecatur. Phlyctenam exterius in latere vident, sed obstupescit prosector ad trium costarum fracturam, de quâ nulla absolutè fuerat suspicio. Præterea hepar & pulmones fese exhibent obstructos, & in sinistrâ pectoris cavitate, effusio lymphæ subrufæ aderat. De his instituit relatio judiciaria reo invisa, cui, in eo discrimine, de consilio doctrinâ & usu periti expetendo suadetur. Re ad hujus-ce actūs præsidem delatâ, improbè factitiam costarum fracturam, post mortem, judicio consultorio enunciāt, qnōd Chirурgo curanti non apparuerint fracturæ signa, nullaque accidentia ei tribuenda. Anatomicis patet difficilem esse extremitatum ossis fracti dimotionem, & ex therapeuticis, viginti septem elapsis diebus, talem fracturam sponte sanescere, quod unanimi consensu artis salutaris Magistrorum statuitur, experientiâque quotidiana confirmatur. Recente in fuisse ossium fractionem neminem oculatum fugisset. Phlyctenam externam in eo loco arte fieri posse, super cadavere, si quis inficias irēt, artis coquinariæ Directores de gallinis opimis, & porcellis lactentibus in igne versatis, audiat. Insuper, judiciariis inquisitionibus consultori communicatis constitit, defunctum, à pluribus annis, pleuritidi obnoxium

fuisse cum lateris eodem dolore, de quo hâc ultimâ vice conquestus fuerat; bisque, quindecim diebus antè rixam, pro tali affectu, iisdem symptomatibus stipato, auxiliatricem venæ sectionem subiisse. Unde facilis æstimatio eorum quæ morbidè præter naturam in cadaveris perlustratione visa sunt, nempè obstructio hepatis & pulmonum jamdudùm formata, & rixâ antiquior.

MONITOS ergo velimus artis magistros, in cadaverum investigatione, ut caveant ab imposturis litigantium, qui casûs irreparabilis damnum, saltem ære solvendum sperantes, retributionem sequuntur. Ars deceptoria, antiquitatis ratione, nulli secunda. Inter libros *Galen* adscriptitios, uni titulus est, *De iis qui morbos simulant deprehendendis*. De mendicantium dolis ægritudines fingentium palmam præripit *Ambr. Pareus*. Mediolani anno 1595, sub eodem titulo quo *Galenus*, publici juris fecit hâc de re commentarium *J. B. Sylvaticus*: & panormi in Siciliâ, excusi sunt anno 1603 quatuor libri de relationibus medicorum, autore *Fortunato Fideli*, medico Florentino, in quibus multa scitu digna leguntur de morborum simulatione: sed nullum extat exemplum de machinationibus in cadavere, ab iis qui dolosè quæstui inhiant, & quibus, ex ipsâ putredine bonus odor, si lucri emungendi aliquid sit: quod quidem ex observatione præcedenti suspicari licet, & cuius menti antè insitæ possibilitatis cognitio perutilis.

A possibili ad actum consequentiam non valere meritò dicunt logici; sed præsumptiones juris indè emergunt dubiis in casibus non posthabendæ.

IN altâ quam vocant, feudi thorignaci beneficiariâ juris-

ditione, penes quam arbitrium est vitæ alienæ, mox tanquam existiale abrogandum; postulante fiscali procuratore, fit judicis iussu cadaveris exhumatio. Quindecim autem obitum diebus homo a nepote fratri sui filio, vexatus fuerat, uterque ad rixam concitus. De facto quæstio erat, an a verberibus mortis causa?

CADAVERIS examinatores referunt se, in sinistrâ posticâ & imâ pectoris parte, contusionem observasse, eique substratas duas inferiores costas fractas, cum effusione sanguinis in thoracis cavum; & inde mors. Ex hâc relatione Themidis gladio, ut parricidam, plectendum nepotem significat, de vitiis relationis minimè curans, & pœnæ capitalis irroganda impatiens, judex fiscalis,

A tamen damnoſo judicio, cauſâ ad supremam normannicâ curiam provocatâ, reo patrocinatur, vir dicendi peritissimus, culpatæ rationis vindex acerrimus (1), qui consulto hujuscæ actûs præſide, & consulentibus clarissimis in utrâque medicinâ magistris Cadomi & Rothomagi, inficiâ, & indiligentiæ exprobatione notandam probat de cauſâ mortis renunciationem.

HANC, jure quidem, criminari fas erat: à circumstantiis antecedentibus certiorem fieri rei præsentis dijunctionem, ipsamet ratio suadet, & artis præcepta statuunt, quorum obliiſ sunt anatomici investigatores. Die 12 Julii 1784 acta fuerat iracundiū lucta inter nepotem & avunculum. Ab ipso die, hic, sexagenarius, in laboribus assuetis defudavit. Fenisciārum impiger operarius, fenum demessuit, furcillis versavit, collegit,

---

(1) M. Bayeux in supremo rothomageni senatu causarum patronus.

aggressit, condidit: modò onustus, longulos incessus agere, modò fossæ labrum, inter ambulans scandere visus est; quæ omnia inductis testibus in foro probata fuere. Nùm, fractis duabus costis, tam diversæ actiones, & corporis motus, irrequieto dolores non incitassent, & nova de die in diem insurgentia accidentia? His rationibus armatus Rei defensor, inficiales de fracturâ præsumptiones posuit. Die 19 ejusdem mensis, æger decubuit avunculus; & artis medicæ frustrâ adhibitis auxiliis è vivis decepsit die 27. Testimonio medicinæ doctoris dicentis se opem tulisse homini pleuropneumoniâ & febre putridâ affecti, fidendum: qui morbus complicatus, tunc temporis, populariter grassabatur.

SED quis locus repulsæ rationalis, cùm in cadaveris inspec-  
tione, ex facto, ut aiunt, viso & reperto, indubitè constet  
de costarum fracturâ, omnium oculis subjectâ? Hæc positiva,  
& allata negativa inter se repugnant argumenta, nec eodem  
recasura. Solutio difficultis quæstionis, in cognitâ præcisè facti  
naturâ vertitur. Decimo secundo ab obitu die, mandatur  
cadaveris exhumatio. Ex indiligenti relatione, nullum est  
certæ notitiæ judicium de contusione: fractionis autem costarum  
non negandæ causa efficiens violentæ cadaveris propul-  
sioni in feretrum angustius, haud cunctanter tribuitur: undè  
non de facto viso & reperto controvertitur, sed de præ-  
postero super hoc, examinatorum judicio: *experientia fallax  
judicium difficile.*

Ne quid detrimenti Ars salutatis capiat ab incertis practi-  
tantium opinionibus, nostris non exceptis, stet pro inconcuso,  
artis præcepta non discenda duntaxat, sed intelligenda. Itaque

casibus in dubiis, si qui sint sapientibus & prudentibus, ad certa scientiæ prima elementa usque repetendum. Esto quod à lapsu, vel iictu fractæ fuerint costæ mobiliores, & ad impetum injuriæ externæ compescendum aptiores: accidens in casu controverso, non potuit haberi tanquam absolutè lethale. Nullum omnino se patefecit fracturæ signum; ergo inter eas quæ sponte sanescunt annumeranda: leve quod admittunt malum, mortis causa dici nequit.

OBJICES, in luculento, de lethalium vulnerum examine, libro, clar. Bohnium, summæ authoritaris professorem, bina costarum fractarum brevi interficientium exempla annotasse. Quidam, mense februarii anno 1679, ab alio, tanto cum impetu sternebatur, ut durius allidens scamno latus dextrum, intrà nycthemerum suffocatus occumberet: nihil tamen violentiæ præter fuggillationem partium externalium, quam costas *nothas* tres superiores, ac verarum duas inferiores transversim fractas reperit Bohnius. Anno 1709, à magistratu requisitus clar. professor, secuit cadaver hominis, qui currûs onusti rotis subactus, post paucas horas, sub maximis angustiis expiraverat. Offendit lateris sinistri costas novem, & dextri duas superiores confractas: sextam, septimam verò & octavam ejusdem lateris luxatas. Quis non videt à cæso & quasi contrucidato corpore causam mortis proximam esse repetendam, plus quam à fracturis. Aderant, nonnullorum vasorum intercostalium, & arteriæ mammariæ sinistre ruptura, sanguinisque ad cayum thoracis extravasatio.

A commotis, compressis, &c, ut itâ dicamus, conquassatis pulmonibus, insigniter lædi potest actio respiratoria, & cita

mors

mors afferri : sed minimè ratione fracturæ : quod patet ex observationibus practicis, si accidentia futura præcaveantur, vel præsentia debellentur. Exemplum efficacis auxilii exhibit cl. *Duverney*. Pondere rhedæ, & motu rotarum gravato pictori, clavicula dextra novemque superiores costæ diffractæ sunt. Spatio vigenti quatuor horarum, octo vel novem sanguinis missiones celebratæ, orituris accidentibus occurserunt Ope sitûs commodi & quietis, intra tres hebdomadas sanitati restitutus est saucius. Ex libro cui titulus : *L'Art de faire les rapports en justice*, authore Devaux, antiqui collegii chirurgorum togatorum magistro, in relatione juridicâ coram prætore criminali castelleti, constat fractas fuisse cuidam tres inferiores costas in sui parte mediâ ; sanguinis sputo, spirandi difficultate & acerbiori febre comitantibus. Jam ter secta fuerat vena. Jubet investigator ut missiones iterentur, & sedulæ fiant deligationes homini intrâ viginti quinque vel triginta dies, uti refert, sanabili.

NOTANDA venit ratio distinctionis symptomatum in primitia & consecutiva. Graviora, metumque inducentia, primis diebus accidunt; & quò diutiùs subsistunt, eò magis augentur; eaque in dies paulatim mitescunt, si peritè & cum successu adhibeantur artis auxilia.

CONSECUTIVA, vel ab imperitiâ, vel incuriâ, aut pravi regiminis de rebus non naturalibus rationale, oriuntur: neque modò medentem se ipsum præstare opportet opportuna facientem sed & ægrum, assistentes & exteriora: quibus attendendum in unoquoque singulari casu forensi, ne specie recti, ab infidiли relatione decipientur judices, & pœnas immeritas infligant.

MULTA sedulò inquirentur pro verâ vulneris īdole diludicandâ, circâ modum & vim inflictûs; v. g. An instrumentum vulnerans directione perpendiculari, vel obliquâ, detortâque viâ vulneratum adegerit. Omissâ hâc magni momenti consideratione, & ex malè instructâ relatione anatomicâ inspectionis, in curiâ præsidiali, Venetiæ in britanniâ armoricâ, (Vannes) homicidæ reputantur quatuor viri, quos insontes designavit actûs præsidis consultatio, 21 Julii 1771; eâque honorificè acceptâ, salvos fecit supremus armoricæ senatus.

FACTI species talis est: exactorum satellites, mercium interdictarum importationi prohibendæ inservientes, virum sexagenarium, iis, ut putabant, onustum, fugientem excipiunt; sed properanter ab eo projectâ sarcinâ, propositum non sunt assecuti. Spe delusi, hominem, supremâ parte sclopeti, quasi fuste, percussum uno aut altero ictu, dimittunt.

DOMI redux, tertio à luctâ die, querelam de malâ tractatione movere, coram judicibus, meditans, 19 Decembris 1767 ad chirurgum accessit, qui inspecto corpore in acta retulit se duas *leves* excoriations cum contusione observasse, easque *transversim* factas, unam super ultimas costas, alteram in supernâ lumborum regione; nullis prævisis ex levi læsione subsecutris accidentibus. Sed, 7 Januarii 1768, elapsis à percussione viginti duobus diebus, repentinâ morte corripitur.

DE causâ mortis fit inquisitio legalis, & coram judicibus anatomicè inspecto cadavere, refertur hominem à commoto cerebro & effusione subsecutâ sanguinis intrâ calvariam, occupuisse; & aperto thorace, utrumque pulmonem sanguine infarcitum. Litem criminalem contrâ percussores, inconsultè

intendunt defuncti parentes, ab iis impulsi quorum intererat litigari, ut pote ex litibus quæstum habentium: & spe lucri, recuperatoriam adversus vectigalium administratores, quos de damno compensando teneri opinabantur, ob patratam à scripturariis excubitoribus cædem. Luce clarius est omnes opportunitatem indiscriminatim abradendæ pecuniæ nancisci: sed eorum spes ratio non sinit esse ratas, cum nullus apparuerit, ex legibus artis, inter effectus, qui mortis proxima causa adfuerunt, & percussionses anteriores, consensus. Apoplecticus obiit: quis, à tali subitaneâ & improvisâ morte, tutus.

De vulnerum lethalitate scriptum Bohnianum, nocturnâ diurnâque manu versandum, capite de deponendi ratione seu modo nos docet cadaverum per peritos lustrationem, quoad reliquias circumstantias, imprimis *procatarxim morbosam*, in judicio accuratiùs enunciando insigni pollere emolumento. Quod ut probet utitur exemplo rustici, ex pugno pectori inficto mortui. Subebrius hic pugno percussus supinus sternebatur; exemplò conquestus de frigore, dolore lumborum & ambulandi difficultate. Post aliquot horas, extrà urbem ad suos se conferens, decubuit; sputo sanguinis, laterum gravissimis puncturis, siti, delirio, convulsionibus funestis excruciatum. Cum jussu Magistratûs cadaver inspiceretur, in dorso & lumbis comparebant maculæ longiusculæ instar vibicum, incisæ tamen nihil sanguinis extravasati exhibentes, pudenda ad gangrænam usqne livida. In aperto abdomen omnia integra & salva. Sub thoracis mammillâ dextrâ, plagæ infictæ vestigium, macula nempè livida, sine effusione tamen cruoris, & ullâ costarum ac sterni læsione. Interiora verò hujus ventris cuncta quasi fumo fuscata conspiciebantur, pulmones undique pleuræ adhæresce-

bant, exfucci, intus putidi. In capite nihil præternaturalis: quem percussum non à percussionis violentiâ, sed à pulmonum pravâ diathesi periisse, Medicus & Chirurgus Socii egregiè deposuerunt.

Sub minimâ antè inflictæ percussionis specie, si ab aliâ causâ, videlicet à suborto recens morbo, vel à latente chro-nico vitio, mors subsequatur, morbi hæredes, si sint infirmæ fortis, quibus curta supplex, quosque cogit auri sacra famæ, fortunæ muneribus ornato percussori, litem movent: caveant cadaveris examinatores ne litigantium cupiditati, vel iræ & odiis subscribant, infaustosque vulgi rumores in assensum habeant. Æqui rectique tenaces, nulli faventes, causas morbi seu proximas, seu remotas verbis expressis denuncient, rationesque doctrinæ, vel opinionis circâ res observatas.

Huic documento maximè intentus actûs Præses, Consultoriam dedit sententiam 13 Februarii 1787, quam æquo nixam judicavit supremus Parisiensis Senatus, in causâ cuius sit hic compendiaria positio.

OFFICINÆ vitriariæ gubernatrix Matrona nobilis contumeliam verbis ab operario experta est. De quo indignabundus matronæ filius, juvenis strenuæ turmæ rem tormentariam agenti adictus, tunc missione semestri in domo maternâ degens, alapam procaci duxit, & iectu pedis perculsum ex officinâ dimisit. Morbo, hoc ipso die, corripitur conviciator, quo intrâ sextiduum opprimitur. Decreto judicis post aliquot à sepulturâ dies, exhumatum cadaver præsefert livores à putredinoso calore, qui sub mortem plurimus est, & in cutem excernit macularum materiam. Has vident tanquam contusiones Anatomici prosectori-

res, inscii ipsum-met *Hippocratem*, de Regimine in morbis acutis dixisse..... *Pleuriticis*, qui ex importunâ ptissimâ cibatione moriuntur, solet apparere latus lividum, plague simile. Ex relatione reprobandâ ob quamplurimas omissions, & commissiones erroneas, juvenem jubet prehendi Magistratus. Sed re accuratiùs ex artis legibus examinatâ, & æquâ lance ponderatâ, manifestum fuit ex ipso memoriali libello de Anatomicâ inspectione referente, operarium decepsisse ob neglecta artis medicæ auxilia in morbo inflammatorio quo affici solent homines, qui seminudi ad ardentissimas fornaces continuò adstant, vitrea vasa conflando, oculorum acie in ignem & vitrum fusum semper intentâ. De re penitiùs cognoscendâ, videatur Bernardi *Ramazzini* Professoris Patavini, egregia de morbis artificum diatriba, capite de vitriariorum & speculariorum morbis.

*HAS THESES, Deo juvante, & Preside M. ANTONIO LOUIS,*  
*Scholarum Professore Regio, Academie Regie Chirurgie Secre-*  
*tario perpetuo, Regio librorum Censore, in Castris & Regis*  
*exercitibus à consiliis Chirurgicis, Nosocomiorum Militarium*  
*Regni Inspectore, Consultissimæ Facultatis in Universitate Pari-*  
*sensi Doctore, in supremo Senatu Patrono, è Regia Mons-*  
*peliensi Scientiarum, ac Vindobon. medico-Chirurg. Imperiali &*  
*Reg. Josephinâ Societate, Regii Medicinæ Collegii Nanceiani, &*  
*Academie Scientiarum Divionensis Collegâ Honorario, Academ.*  
*Lugd. Rothomag. Metens. Gottingens. Apathistarum & botanic.*  
*Florentinæ, Bonon. Harlem. Paduan. Socio, in Medicinæ Facul-*  
*tate Hale-Magdeburgicâ Chirurgie Doctore; tueri conabitur*  
*BENEDICTUS VIOLE, divionæus, artium liberalium in*  
*Universitate Bizuntinâ Magister, Chirurgie Candidatus.*

---

